

umbrantur: *Vid.* quoque JAC. BERNHARDI MULZII *Dissert. de Offic. Director. & Duc. Circular. in Execut. Sentent. §. 8. p. m. 14.*

- (3) Negat id quidem pernegatque MULZIUS, *l.c.* alibique, nec Eidem defuere argumenta, quæ fucum imponere poterant rerum imperitis; certum quoque & id est, non extare ullam Legem publicam, quâ se potestate hac Imperator disertis abdicaverit verbis. Verum enim verò nec est opus expressâ aliquâ hanc in rem Constitutione; ecurr enim ejusdem vices non subeant ii Imperii Recessus, eæ Imperii Ordinationes atque Pacificationes, ubi **den Crayß. ausschreibenden Fürsten** atque Circularum Ducibus exequendi Jus primario, Imperatori autem, non illis, in subsidium tantum tribuitur. Addantur quoque Autores §. 4. *not.* (1) cumulati.

§. 4.

Ipsam autem exequendi pacta, judicata, transactaque potestatem **den Crayß. ausschreibenden Fürsten** Ducibusq; Circularum tribuendam esse nullus dubitabit, qui, quæ pro stabiliendo hoc Jure sequenti tertio Capiti inclusimus, abjectâ, quæ veritati tam graviter obest, nimiâ autoritatis humanæ veneratione perlegerit, adeò, ut planè opus haud esse censeamus, generalioribus rem hîc agere argumentis, quin potius, cum explosâ jam sint adversariorum tormenta majora, (1) pansis quoque velis hostica nunc castra prætervehere possumus, unicum hoc si addiderimus, quod ferè prætermisere cœteri, optimum hîc neci argumentum ex origine atque fine Circularum Imperii.

- (1) Nostræ quæ opposuit Sententiæ Illustris quondam MULZIUS 1. *in jam cit. Dissert. Lat. Germ. de Officio Directorum & Ducum Circularium in Executione Sententiarum*; 2. *in Examine Scripti de Jure exequendi Sententias Directoribus Circularum competente*; 3. *in denen zweyen Schreiben eines Freundes an einen Freund/ in der Mecklenburg. Gustrauischen Successions Sache*; denique & 4. *in der Untersuchung der so genannten gründlichen Behauptung des Reichs und der Crayßens Gerechtigkeit die Vollziehung der Urtheil betreffend/ quæ tecto nomine Annis 1697. & 1699. edidit in 4.* Quæ tamen in fumos abire jussit 1. B. de COCCIJUS *in Scripto Anonymo de Jure exequendi Sententias*